

PSALM. LXXXII.

3 Judicate pauperi & pupillo : pauperem
& egenum justificate.

4 Eripite pauperem & egenum : & de ma-
nu impiorum eruite.

5 Nihil norunt nec intelligunt : in tene-
bris ambulant : nutant omnia fundamenta
terræ.

6 Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes
vos.

7 Veruntamen sicut homines moriemini,
& sicut unus è principibus cadetis.

8 Surge Deus, judica terram : quoniam tu
hæreditate possidebis omnes Gentes.

Psalmus LXXXIII.

Canticum & Psalmus ipsius Asaph.
2 Deus ne sit silentium tibi, ne tace-
as, néve quiescas Deus.

3 Quoniam ecce inimici tui tumultuantur,
& odio habentes te extulerunt caput.

4 Super populum tuum callidè inierunt
conflitum, & consultaverunt aduersus abscon-
ditos tuos.

5 Dixerunt , Venite , & succidamus eos
de gente , & ne memoretur nomen Israel
ultrà.

6 Quoniam conflitum inierunt ex corde
pariter, contra te fœdus pepigerunt.

7 Tabernacula Edom & Ismaelitarum ,
Moab, & Hagareni.